... Capituli.

~~Fest. 3306~~

Politowicz Joan. Dionysii: Seminarium Episcoporum amplissimi Capituli Gnesnensis.

Posnaniae in off. Alb. Reguli 1641.

SEMINARIVM EPISCOPORVM.

Augustissimi Capituli Gnesnensis, Amplissimo Perillustrium.

&

REVERENDISSIMORVM DOMINORVM PRÆLATORVM ET CANONICORVM GNESNENSIVM.

CAPITVLO

DD. & Patronis obseruandissimis.

A

IOANNE DIONYSIO POLITOWICZ *Philosophiæ Doctore, Academicæ Coloniæ ad Ædes Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Præfecto. Cum debita animi obseruantia sub Generali Capitulo pro Festo Translationis Diui* ADALBERTI *Anno Domini.* 1641. *feliciter celebrato,*

OBLATVM.

POSNANIÆ In Officina Alberti Reguli

INSIGNIA AVGVSTISSIMI CAPITVLI GNESNENSIS.



Symbola sunt, cernis, candoris LILIA *terna*
Frangranti Verus candor odore viget:
Sic igitur crescant multis mansura diebus
Pro meritis dignis munera celsa ferant:

Alexander Głembocki
Studiosus Academicæ Coloniæ Gnes.

Amplissimo & Reuerendissimo.

ALMÆ MATRIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ GNES: SENATVI.

Dominis & Patronis suis optimis S. & F.

Fatebor ingenuè arduam me rem, & fortasse plenam difficultatis ausum & aggressum, quando sub amplissimis Augustissimi Capituli Vestri nominibus, hoc quod crebris hominum sic soleat vsurpari sermonibus SEMINARIVM EPISCOPORVM, illiusq; proprias virtutum imagines, & Rerum gestarum gloriam, rudi & simplici sinceritamen affectus penicillo adumbratum, in lucem publicam vestro fretus fauore, prodire permittam. Facilè quidem & imperitus artifex nobilissimo adamanti poterit addere splendorem & nitorem, cùm materiam per se splendidam & claram nullo egere aduerterit ad miniculo splendoris; at plena venerationis Elogia, viris solidæ eruditionis & pietatis omnibus numeris absolutissimis instituere; & ad eos laudandos omnes ingenij neruos conferre; magnæ difficultatis opus, & industriæ monumētum, etiam vulgi mecum pariter approbabit sententia. Quod si Alexander ille magnus totius fere orbis Monarcha res maximas mira celeritate, & rara felicitate, gestas, vultus sui magnificentiam totiusq; corporis lineamenta, nisi à Lysippo fingi, ab Appelle pingi præstantissimis suæ ætatis artificibus, rigoroso cauit edicto: persuasum habens quantùm valeat ingeniosa solertia, illustris eloquentia, percoctum iudicium, & sagax memoria, ad ornamenta virtutũ Clarissimorum virorum celebranda, aut literis in conspectum publicũ prodenda. Verum à PERILLVSTRIBVS & REVERENDISSIMIS Dñis D. V. Patronis Amplissimis

ſimis non pluris orationis nitor, nullis pigmentis & coloribus ſimulationis expreſſus, quam mentis obſequentis affectu debitæ pietatis deuotè declaratus candor, æqui boniq; æſtimabitur. Nec minus à Vobis probari lucubrationem meam, quàm grato animo & benigna facie excipi ſemper volui: nec Vos magis diligentiſſimos ad conciliandos mihi animos promotores paraui, quàm acerrimos ad excuſandam ſi quam incurri culpam, defenſores in animo propoſui. Optimè profectò norint, naturam optimam omnium rerum parentem non immeritò quasdam hominibus diſtribuiſſe qualitates; vt melioris vitæ, deteriorem ad bonam frugem deducat: robuſtioris corporis, infirmiorem erigat: nobilioris fortunæ tenuiorem ad ſublimiorem dignitatis gradum promoueat: excellentioris ingenij debiliorem doceat, & ab inſultibus Zoilorum defendere ac tueri glorioſum ducat. Non aliter & meas exiles ingenij vires in recenſendis Eminentiſſimi Capituli Veſtri florentiſſimis virtutibus, deficientes, Zephyris beneuolentiæ in qua luculentiſſimè verſamini, ſpirantibus, exigere ſtudebitis, & me ab Ariſtarchorum mordacibus linguis ſi frement, & adulatricibus Lauernis, ſi furtim bonam rodent, vt identidem ſolent, exiſtimationem vindicabitis & ſubleuabitis Veſtris LILIIS; quæ apes, licet ex varijs florum generibus mella ad alueos ſuos colligant, ne primis quidem labris, vt dicitur, deguſtare & attingere audent. Fauete itaq; PERILLVSTRES & REVERENDISSIMI DOMINI his conatibus meis in tutelam & patrocinium veſtrum recipientes.

Deuotum

Ioannem Dionyſium Politowicz
Philoſophiæ Doctorem Scholæ
Veſtræ Præfectum.

SEMINARIVM EPISCOPORVM.

COMMVNIS & vsitata mul-tis q; ab annis recepta est hominum consuetudo, Magni Magnæ Ecclesiæ Metropolitanæ Senatores, vt aduentus magni Principis, rarusq; ad Regnum ingressus, tantùm omnibus lætitiæ & iucunditatis afferat, quantùm ex ipsius conspectu & plena venerationis maiestate vniuerso Regno prouenire soleat dignitatis. Etenim salus Ciuium salute Principis continetur; felicitas subditorum ex Regum felicitate dependet; bona, fortunæ, vita, & spiritus quem hauriunt, pax & quies quâ perfruuntur in Regum & Imperatorum manibus posita est. Non mirum igitur si aduentu Regum & Principum ciues & subditi lætentur, cum quibus bonam fortunam certò sibi aduenisse pollicentur. Proinde ad lætitiæ apparatum instaurandum eiusque splendorem augendum Patronos suos, Imperatores, Reges carissimos reddere cupientes, quidquid fortunarum ratio permittit alacres congerunt. Quibus

verò subtile à DEO datum ingenium, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia, non in postrema obseruatione habere solent, vt sub ipsorum rècursu ingenij sui dexteritatem depromere, & quàm luculentissimè animi testificationem declarare possint. Idem mihi ex vmbra in solem venienti videtur faciendum: (cum congressus vester de bono Reipublicæ suæ tractando auspicatissimus, & summam alacritatem offerendæ breui meæ lucubrationi, inter pulueres scholasticos rudi & incultâ Mineruâ confectæ; & incredibilem declarandæ erga Perillustres D. V. Patronos obseruandissimos voluntati attulit lætitiam) gratulari videlicet vestro Augustissimo Senatui non iam Decēnalia, sed aliquot (si ita dici potest) Centennalia, & ex virtutib' præclara quæq; augurari. Non eo quidem animo facio, vt ingenij mei dotes, quæ prorsus nullæ sunt adcaptandam popularem auram, ostentem; sed vt ternorum LILIORVM latissima folia virtutum hoc præsertim temporis autumnalis ingressu vestro fauore & singulari beneuolentia suffultus, explicem. Verumtamen vehementer pertimesco, vt in hac spartha quam nactus sum ornanda vestræ de me expectationi satisfacere valeam: cum prudentis artificis sit officium, inprimis vires suas metiri, & quid valeant humeri, quid ferre recusent probare, & tum demum intra præscriptos fines se continere. Quodsi hoc ab artifice accepimus, quid mihi faciendum putetis tenvitatis meæ conscio? præsertim

tim grauem materiam ad exponendum aggredienti? In ſpem tamen bonam erigor cùm ingenuo & induſtrio debitore, qui ante latam Iudicis ſententiam vltrò citroq; ſe ac omnes ſuas quas poſſidet facultates, creditori adſcribit, vt ſciat ille qui non eſt ſoluendo, non voluntatem ſed fortunam tantùm defuiſſe. Quocirca concedite breuem temporis ad legendum vſuram, & mihi ſine vllo ſplendore & apparatu verborum SEMINARIVM EPISCOPORVM fuiſſe ſtatim à primo ſui ſeculi ortu eruditũ & vitæ ſanctimonia inſigne oſtendere cupienti, ILLVSTREM faciem non animum tædioſum præbetote.

Qnanquam omnes honeſtæ actiones ex virtutibus pullulantes & enaſcentes, magnam nominis ſuppeditare ſoleant mortalibus exiſtimationem: tamen inter cætera earum ornamenta, quæ in genus hominum profluxerunt, nullum puto meâ quidem ſententiâ, in hac vniuerſi ſtructura, vberiorẽ pietatis ac integritatis profluxiſſe fontem, quàm ex honeſtiſſimis literarum diſciplinis. Hæ enim non barbariem duntaxat in naturam belluinam degeneratam profligârunt, ſed etiam mores incomptos & feris indomitis non abſimiles, in quendam elegantiæ modum ſtudijs humanitatis expolitum commutârunt. Vnde non ineleganter illam vates in ſuis Elegijs expreſſit admonitionem.

Adde quod ingenuas didiciſſe feliciter artes
Emollit mores nec ſinit eſſe feros.

Qui-

Quibus ille Tyrannus Nero ipso monente diuino præceptore Seneca imbut⁹, naturæ suæ in omnem in solentiam proiectæ, frenum in ijciebat: nec illum à latere suo ad consilia sapienter & prudenter peragenda, donec morti iniustæ & in opinatæ ab illo destinat⁹ fuisset dimittere sinebat; sed semper studebat eius prudentia esse & videri doctior: persuasum habens nullum imperium, nullam Prouinciam absq; viris sapientibus posse consistere rectèq; gubernari. cum omnis Reip: rectè gerendæ ratio in summa sapientia eruditissimorum virorum sit posita. Multoties ingeminabat vir sapientissimus: illas Prouincias esse beatas & florentes quas Philosophi aut gubernarent, aut prudentissimo suo consilio iuuarent. Præuident hoc viri in solio amplissimæ dignitatis collocati aliorum præsertim doctissimorum virorum prudentiâ oportere viuere, quos non aliam ob causam ex omnibus scientiarum facultatibus ad Curias suas accersunt, vt non deflectant vel à tramite rectæ iustitiæ, vel à cursu optimæ gubernationis. Non immeritò Carolus ille Magnus statim in primo cuiuscunq; vrbis & Ciuitatis ingressu interrogare solebat vtrum in illa Ciuitate existat prudens Senatus? in quo vniuersus populus salutis suæ & libertatis retinēdæ totam spem collocet, Horologium non fallax, in quo ordo omnium consistit. et scholæ Præfectus ad rectè informandos instituendosq; in omnibus honestissimarum disciplinarum studijs teneros animos, & vitæ

mori-

moribus & literarum ſcientia clarus. Innuere volebat eiuſmodi homines communes in terris ſoſpitatores reconditioris doctrinæ præſidijs, & experientia rerum Magiſtra inſtructos, & longo vſu & exercitatione perpolitos eſſe oportere, vt eorum mens animi dotibus innixa ad conſeruandam publicam ſalutem prompta & omnibus numeris abſoluta, euadat. Nulli præter hos aptiores & magis idonei ad commune mortalitatis præſidium naſcuntur: à quibus veluti conſultiſſimo oraculo, virtutum & officiorum omnium ſalubria vniuerſo populo ſumuntur conſilia. Nihil eſt tam arduum, quod tantis ducibus homines ſe non ſperent conſecuturos. In rebus enim iudicandis non poſtremam partem ad vnam quamq; rem æſtimandam, momentoque ſuo ponderandam ſapientia doctiſſimorum virorum tenet, quos ſupremus ille rerum omnium effector & Moderator DEVS in hoc ſublunari globo, Iuri conſeruando & tuendæ libertati præeſſe voluit, ne per callidam Iuris, peruerſorum hominum interpretationem in aliquod fatale diſcrimen, deueniant. Talibus virorum præſidijs communitæ Reſpub: Eccleſiaſticæ, nūquam ſe à præclaris quibusq; facinoribus ſeduci patiuntur, ne maximis obrutæ fluctibus & turbinibus alicui infelici calamitatum ſcopulo illidantur; ſed illam probis iudiciorum conatibus, diuino præeunte Moderatore, ad ſummam fortunæ amplitudinem deducere contendunt. Si igitur tanti valoris ac momenti viri,

 hone-

honeſtiſſimis literis cum pietate coniunctis exculti, tàm ad omnem vitæ ſtatum ducendum, quàm ad Reſpub: dextrè adminiſtrandas ſunt maximè neceſſarij; SEMINARIVM EPISCOPORVM ſine horum dextro regimine bene ſibi perſuaderi putabit? Nequaquam Perilluſtres & Reuerendiſſimi Domini. imò vbi hi exulant omnem ordinem magnam iacturam ſubire, & à priſtino ſtatu deflectere, in præcipitiumq; ruere ſempiternum eſt neceſſe. Quid enim aliud SEMINARIVM EPISCOPORVM? niſi promptuarium virtutis, norma pietatis, Eccleſiæ gubernatio, religionis propagatio, hæreſum extirpatio. Hi ſunt defenſores Eccleſiæ acerrimi, legum conſeruatores fortiſſimi, & Cuſtodes diligentiſſimi, religionis propagatores feruentiſſimi, Cultores pietatis, vindices iuſtitiæ, temperantiæ, prudentiæ aſſertores. Profecto nemo hæc officia obire poterit, qui literarum ſtudijs à primo ætatis flore cum pietate coniunctis non fuerit informatus. Hæc eſt deniq; vera & genuina virtus, quæ ad veræ religionis propagandam ducit dignitatem, ad mentis innocentiam DEO conſecrandam rectam monſtrat viam, radijs diuinitatis illuminat intellectum, morũ conſtantiam ſtabilit, vitæ puritatem conſecrat: quæ quicquid illi ſupremo cæleſti Numini, quid Eccleſiæ, quid cariſſimæ patriæ, quid amicis debeamus manifeſtè declarat. Sed cum in recenſendis pietatis & literarum effectibus plus verborum, quàm neceſſitas ipſa poſtulauerat profude-

fuderim: iam mihi amplissimus ad contemplandas florentissimas in sacro vestro Senatu virtutes aperitur dicendi campus, & omnia bona de illis augurandi. Florebat statim à primis erectis hui⁹ Almæ Matris Ecclesiæ fundamētis Sacer vester Senat⁹ eruditissimis & piētissimis viris, quos inprimis ab exteris nationib⁹ accersitos, ad diligentem sanctissimi Numinis cultum plantandū, propagandum, magna Principum Polonorum dotabat sustentabatq; munificentia, vt eorum saluberrimo suasu, gens lumine fidei destituta, sacro fonte Baptismi lota, postpositis & conculcatis falsorum DEORVM commentis, verum DEVM cognosceret & illi debitum venerationis cultum exhiberet. Primus Villibalinus, Gallus fungebatur Apostoli officio summâ sanctimonia vitæ, pietatis studio, & magnis ingenij dotibus insignis ad noualia religionis Christianæ plantanda Sedique Apostolicæ subiungenda à Ioanne XIII. Summo Pontifice in Poloniam missus, summis precibus Meceslai Regni Poloniæ Monarchæ Archipræsuleam Gnesnensem sedem gubernandam suscepit. Secund⁹ Hatto in amplificanda religione Christiana feruentissimus Almam Metropolitanam sedem Gnesnensem virtute, prudentia, grauitate, morum probitate, & Diuinarum rerum pio studio, sedulò gubernauit. Non proferam in medium Diui ADALBERTI tutelaris huius Ecclesiæ, & Sancti Gaudentij Fratris eius felicissimum regimen, & sanctissimas Diuinasq; virtutes, quas

 neq;

neq; arida eloquẽtia mea recẽsere, neq; sterilis styl⁹ adæquare vllo modo poterit. Prodeat ad eam rem probandam vniuersus sub vexillo Christi militans popul⁹, quanta beneficia in suis necessitatibus cum deuotionis affectu & certa spe post DEVM obtinendorum votorum, ad illum confugiens, singulis ferè momentis recipiat. Neq; mihi opus est longo catalogo ad enumerandos SS. Viros ab exteris nationibus ad primitiale Archiepiscopæ decus assumptos; largam nobis suppeditant copiam ex vestro grauissimo Capitulo Perillustres & Reuerendissimi Domini Prælati vitâ functi, qui nulla alia decorati dignitate, his proprijs subsellijs Archipræsuleam Cathedram conscenderunt, & excelsis virtutibus, quæ iustis præmijs excitantur, ornârunt. Testis est Petrus è Præposito huius Almæ Ecclesiæ in Archiepiscopum Gnesnensem Anno reparatæ salutis 1050. electus veridicus Senator: qui post posito periculo mortis, Regem Boleslaum Sancti Stanislai truculentum occisorem, censuris interdicti, perculit. Testes Philippus, Anno ab Incarnatione Christi 1272. Et Ioannes Latalski, se ex sola huius amplissimæ Præposituræ præeminentia ob pietatem singularem, ingenium præstans, consilium prudens, facundiam raram, Archicathedram Gnesnensem, post multa in Ecclesiam & Rẽpub: merita vtilissimè conscendisse. Testes Ioannes secundus & Włostiborius Anno Æræ Christianæ. 1279. Decani Gnesnens: quos in altissimo supremæ di-

mæ dignitatis apice fuiſſe collocatos legimus, viros inſigni eruditione, incredibili zelo erga Eccleſiam ornādam celebratiſſimos, in quibus omnis chorᵘ virtutum ſedem & domicilium fixiſſe perhibetur. Teſtem habemus Stanislaum Fulconem Canonum Doctorem Archidiaconum veſtrum omni virtutum decore conſpicuum. tiaram Archipræſuleam Anno à partu virginis 1234. aſſumpſiſſe: Sancti Stanislai oſſa in numerum, SS. relati ſolenniter leuaſſe, & annulum ſigillarem huic Almæ Eccleſiæ cum parte reliquiarum donaſſe. Teſtis eſt Vincentius Roth Magiſter Artium & Philoſophiæ Doctor Cuſtos veſter, vir magni ingenij, qui in celſiſſimum Metropolitanæ Eccleſiæ culmen, renuntiatus fuit, Primus pileo Cardinalicio adornatus, non cum poſtrema Regni Poloniæ laude Baſilienſi interfuit Concilio. Teſtentur deniq́ue Iacobus ex municipio Znenenſi Doctor Decretorum, Dobrogoſtius ex gente Nałęciana Iuriſconſultus, Gdzislaus, Vincentius, Boryslaus, Iaroslaus, Boguria Doctor Canonum, Bodząntá; quos excelſa virtus cœleſtis pietatis, eruditionis, prudentiæ; magnitudo conſilij, dicendi grauitas, magnarum rerum vſus & cognitio, ex Canonicis Gneſnenſ: ad ſublime Archiepiſcopatus faſtigium transferre non eſt dedignata. Veniet inpræſens adexcuſandū me ingenioſus Lyricus vates, ſi cuipiam mirum videatur me quædam in medium non ſine opinione, attuliſſe.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Possum hic quidem singulorum pia & præclara opera in ornatum templorum tàm interiorem, quàm exteriorem ad implorandam Diuini Numinis opem consecratorum recensere, literarum culturam celebrare, admirandum omnium virtutum concentum prædicare; verùm multos consultò viros memoratu dignissimos prætereo, cùm mihi non tam orationis vbertas apud Perillustres D. V. sit comparanda, quàm fastidium legendi penitus fugiendum. Præsertim cùm multa annalium monumenta ad omnem ferè mortalitatis memoriam celebranda, vberiorem vobis & luce meridiana clariorem de illorum præclare factis relinquant informationem. Reflectamus tamen paulisper cogitationem ab istis primorum seculorum viris, relictis Receptionum annalibus, quorum nobis ad manus copia nō extat, & ad præsentes, qui in ore viuūt ac mentib⁹ hominum, accedamus. Inferamus oculos in Ecclesiam, introspiciamus in omnes Augustissimi Capituli vestri partes, & videbimus viros omni virtutum & scientiarum genere celeberrimos, in ex colenda & exercenda in omnes beneficentia claros, summis ingenijs, suauissimis moribus cumulatos: ad labores in Ecclesia DEI sustinendos, non pigros; ad consilia danda, prudentes

ad vir-

ad virtutis surculos inserendos propensos: ad errores Hæreticorum funditùs extirpandos, feruentes. Ex vestro enim amplissimo Collegio tanquam ex aliqua editori specula in qua omnium oculis conspicimini, viri dignissimi, amplissimis in Ecclesia DEI, publicis officijs insigniti egrediuntur; quos nec grauissimi labores in ornanda Ecclesia debilitare, nec vllæ difficultates ab instituto cursu amouere vnquam possunt. Ex hoc perinde atq; ex limpidissimo fonte & fæcundo solo; pulcherrima Clarissimorum virorum, generis, sanguinis, vitæ, sapientiæ lumine splendentium, ornamenta, ad Infulas & currus Senatorios; Archipræsules, Regni Cancellarii, DEI prouidentia Abbates, suæ vocationis diligentissimi assertores, profluxerunt. Salutabat Gnesna non ita pridem Illustrissimum & Reuerendissimũ D. Dominum IOANNEM LIPSKI Archiepiscopum Gnesnensem, quẽ olim suũ dimiserat Cantorem, mira ingenij solertia, oris facũdia, excellẽtis literaturæ cultura præditum. Hui⁹ Eminentissimi Primatis plurima de Ecclesia & Repub: cogitantis, digni diuturniori fato, manifestus prudentissimarum perorationum splendor per totam pœne Europam ad immortalem laudem sibi conciliandam non mediocris effulsit: cuius nunc mæror ex eius morte præpropera concept⁹, viua & adhuc spirantia tristissimi gemitus in visceribus & medullis Ecclesiæ, Reipub: Fratrum charissimorum & omnium Necessariorum reliquit contestandi argumenta. In-

gres-

gressus est faustis acclamationibus amplissimam honoris Augustissimi Archicathedram Leopoliensem Stanislaus Grochowski Canonicus vester, ad euertendos schismaticorum errores, prudentissimus Antistes, pietatis & deuotionis studiosissimus, magnanimitate, dexteritate præditus; prompti cōsilij ad deliberandum, percocti iudicij ad exequendum munus, Senatorem. Imposuit Cracouia vnicus ille Regni Poloniæ ocellus, bicornem mitram Culmensi deposita, in præmium florentissimæ virtutis olim vestro Canonico, Illustrissimo & Reuerendissimo D. Iacobo Zadzik, ad externorum bellorum impendentium sopiendos motus cum Suecis Orthodoxæ fidei depulsoribus ferocissimis, prudentissimo Senatori, & Regni Cancellario per annos complures, legum, libertatisq; Polonæ Custodi, munificētissimo Academiæ nostræ Cracouiēsis Benefactori. Excepit Cuiauia cum debita Officij sui veneratione ad suam exedram Illustrissimum & Reuerendissimum D. Mathiam Lubinski; quem Gnesna dimiserat Canonicum, excelsi ingenij, admirandæ prudentiæ Senatorem, prauitatis Hæreticæ extirpatorem, Academicæ Religionis Canonicorum Regularium, Custodum SS. Sepulchri DD. Hierosolymitani, planeq; Doctissimorum Virorum propagatorem. Hunc ex vestro olim nobilissimo corpore ac Collegio, vestris optatissimis & fauentissimis suffragijs Almæ Eccesiæ Sponsum, delegistis: qui possit ac valeat mæstā ac squalidam

lidam Sponſam voluntate, prudentiâ, authoritate, ſuis proprijs impenſis ad priſtinum cultum & ſplendorem reuocare. Optimam ſpem concipite Perilluſtres & Reuerendiſſimi DD. de ipſius beneuolentiſſimo erga hanc Eccleſiam reſtaurandam animo. Quemadmodum enim magnam vetus Reſpub: Romana & vniuerſus populus Cenſori deſignato attribuebat laudem, ſi præſente ipſius Magiſtratu copioſam ex agris frugum vbertatem ad horrea ſua aduexiſſent, ex vineis largam copiam vini collegiſſent: non minorem & vos Eminentiſſimo futuro Sponſo attribuetis; cùm fauſtiſſimè ſummis virtutū indicijs videritis fauentib⁹ ſuperis adminiſtrātē ſuā gubernationē cui ſuprema Dei Bonitas quàm diutiſſimè feliciſſimā impertiat vitā, & citiſſimè ad nos ſaluū ac incolumē deducat, & quàm maximè ſalutaria ad conſeruandam omnibusq; bonis cumulandam ſuam Archidiæceſim per eum ſuggerat conſilia. Introduxit Poſnania Maioris Poloniæ Metropolis in ſuam Epiſcopam cum geſtientis animi tripudio, & magno Procerum, & nobilitatis concurſu & deſiderio Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum DD. Andream Szołdrſki Veſtrum Præpoſitum, virum rerum tractandarum vſu peritiſſimum, verum cultorem humanitatis, propagādæ religionis & neglectorum bonorum Eccleſiaſticorum acerrimum vindicem: qui omnium animos ſibi ad dictiſſimos incredibili videndi ſui deſiderio ita detinebat, vt eum ſibi reducem à liminibus Sancti Petri o-

mnes

mnes quàm citiſſimè exoptarent. Aſſumpſit Plocia Veſtrum Præpoſitum Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum DD. Staniſlaum Lubinſki annum ante vitâ piè functum, & iam in æternas Beatorum ſedes translatũ: cuius ſapientiſſima ſcripta cum admiratione apud exterorum populorum vrbes & Regiones multorum manibus euoluuntur, & Tullianæ ſuadæ perſimilia adiudicantur. Extollat iuſtis laudibus Luceoria Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum DD. Gembicki olim Epiſcopum Theodoſienſem, Veſtrum Suffraganeum, Abbatẽ Trzemeſnenſem, qui, quàm laborioſo conatu ab impetu prauitatis Schiſmaticæ ſuam Diæceſim vindicare nititur, vt illud pernicioſum lolium radicitùs extirpare valeat, ſatis dicere non poſſum. Voluit Rex ſapientiſſimus Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimũ DD. Petrũ Gembicki Veſtrum Cuſtodem, non min⁹ quàm patriæ libertatis ob ſingulares animi dotes in de ſultorio Epiſcopatu Præmislienſi, vt altiorẽ quem minimè ambit etiam vltrò collatum, aſcenderet honorum gradum, & vigilem, Reipub: curam aſſumeret. Et hic nolo eorum virorum longam ſeriem contexere, quos pientiſſimæ memoriæ ſapientiſſimi Reges ad hominũ admirationẽ acutiſſimo ingenio diligentiſſimos ſpeculatores, Eccleſijs præficiendos eſſe curârunt. Non conticeſcet præclara pietatis opera Alma Metropolis & Reſpub: digniſſima merita Stanislai Karnkowſki, Alberti Báranowſki Collegij veſtri Cantorum, virorum

cla-

clarissimorum, tum verò optimorum, omnibus charissimorum illius temporis, omnes virtutes in se complectentium. Non præteribit Bernardi Macieiowski Cardinalis, Canonici Vestri, excelsi animi magnitudinem, nihil tam abiectum & humile cogitantis, quod consultò constituerat effectu non expleret, auelliq́ue se ab eo aliqua difficultate pateretur. Nec silebit certè Laurentij Gembicki Cancellarij Vestri, Sarmatici nostri æui Oratoris, illud Sanctitatis ac doctrinæ incomparabilis exemplar; in conseruando amplificandoq́ue cultu Diuino, paternum erga hanc Ecclesiam laminis æreis desuper cooperiendam declarantis animum. Tradet famæ nunquam morituræ Augustissima Cathedra Gracouiensis eximias virtutes, & illud Musæum orbis Sarmatici, & eruditionis emporium, Stoa Gracouiensis; indefessum munificentiæ studium disertissimi Petri Tylicki Canonici Vestri, ob elegantiam & vberioris doctrinæ laudem appellati scholastici. Et Andreæ Lipski Custodis, viri legũ Ecclesiasticarũ & Regni peritissimi, in oculis & vultu omniũ veluti in speculo clarissimo realitatem, & in rebus agendis dexteritatem, quilibet legit, notauit, & admiratus est singularem. Conferenda iustitia, pietas, comitas, suauitas, cum immortalitate in Vladislauiẽsi Episcopatu Mathiæ Pstrokonski Præpositi Gnesnensis vt sine his virtutibus nihil de veræ religionis Catholicæ propagandæ studio remiserit, nisi in publico clarissimorum Virorum theatro,

excel-

excellentis animi sui impetus fuerit singularis & opera præcipua. Commemorabit sera posteritas in Posnanienti, Adamum Nowodworski Vestrum Canonicum nullum amoris, nullum studij, nullum pietatis officium in ornanda Ecclesia per incendium collapsa, negligentem; reditus annuales ad ornamentum & decorem domus Dei libentissime conferentem. Non est sepulta vnà cum cineribus, pietas in Devm, quam ipse omnibus notam ac testatam esse voluit Ioannis Kuczborski Episcopi Culmensis Scholastici Vestri. Nota est in Luceoriensi Achacii Grochowski Cantoris Collegij Vestri sapientia, rigor iustitiæ, qui religione nihil in illis præsertim Schismaticorum partibus sanctiùs, pietate nihil chariùs, virtute nihil amabiliùs præferri voluit. Nota est & satis perspecta in egenos & pupillos liberalitas & munificentia Episcopi Varmiensis Simonis Rudnicki Custodis Vestri. Superstes in Kiiouiensi excellens doctrina Illustrissimi & Reuerendissimi D. D. Alexandri Sokołowski Canonici Vestri viri doctissimi & tàm Theologicis quàm Iuridicis disciplinis instructissimi. Manifestum est, apertum, & fraudis nescium pectus, in Abbatia Landensi Illustrissimi & Reuerendissimi DD. Ioannis Madalenski Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Theodosiensis, Suffraganei Gnesnensis; quem innata & multis præclarè factis quæsita virtus Anno à partu virginis 1620. Decima septēbr: Canonicum Gnesnens: creauit, & post deuolutum spatium

tium

tium viginti annorum, die recurrente decima ſeptima Septembris, eadem virtus rotam fortunæ proſperæ inuertit, & in apice Epiſcopali tiara Diœceſis Theodoſienſis ad Suffragandum in Diuinis rebus Eminentiſſimo Archiepiſcopo Gneſnenſi iuſtis præmijs condecorauit, vt non inconcinnè illud accomodari ei poſſit.

Qui virtute olim ſellas prouectus ad iſtas
Ad quas hæc virtus Te Pater alme tulit.

Manifeſta deniq; pietas religioſiſſimis Patribus, qui in ſacris illis Diui Bernardi caſtris ſub ſanctiſſimæ militiæ diſciplina ad æternam felicitatem contendũt; In aulis Principum cum tanto honore honorificentiſſimum Cancellariatꝰ munus obiuit, vt & ſancta Ciſterſienſium Religio perfectiſſimum pietatis intueatur exemplar, & vetuſtiſſima Madaleniorum Domus virtutem cum immortali laude & gloria coniunctam ijſdem veſtigijs inſiſtens imitetur. Silebo Illuſtriſſimos & Reuerendiſſimos DD. Epiſcopos Venceslaum Paprocki Epiſcopum Margarethenſ: Suffraganeum Vladislauienſ: Ioannem Baykowski Epiſcopũ Ennenſem Suffraganeum Poſnanienſem Canonicos Veſtros, Iuris Canonici viros conſultiſſimos; quorum inclyta virtus & ſingularis doctrina plurimùm hoc ampliſſimum Collegium illuſtrat: nam & hic effundendus eſſet, aliquis largiſſimꝰ Eloquentiæ riuulus, vt virorum tantorum altiſſima æternitatis ſpatia contemplantium & hanc vitam incolentium virtutes pari adæquaret plenitudine. Meritò

 igitur

igitur veſtrum ampliſſimum Capitulum dicendum eſt SEMINARIVM EPISCOPORVM. cùm viri in eo honoribus ampliſſimis, meritis excellentiſſimis, pietate admiranda, doctrina ſatis verbis non deprædicanda, parauerint ſibi ad laudem nunquam morituram non poſtremam viam, & ſimillimos tantarum virtutum hæredes reliquerint. Non abſimiles vos mihi credite Illuſtres & Reuerendiſſimi DD. virtutum & honorum nexus manet qui Prædeceſſores Veſtros eſt concomitatus. Quippe virtutes virtutibus, honores honoribus, pietatem pietate, merita meritis cumulatis, aggregatis, colligitis opulentiſſima: quæ tantum habent in ſe commendationis, vt neq; mea quæ nulla eſt, neque cuiusq; ad commendandum requiratur eloquentia. O florentiſſima LILIA odore excelſarum virtutum inſtillata & diuinæ largitatis rore irrigata! quæ prudentiſſimos viros ad gubernacula Eccleſiæ nullis pretijs comparandos, extollitis, ſuppeditatis, euehitis. O Nomen Auguſtiſſimi Capituli omnibus ſeculis celebrandum! O Cathedræ huius Eminentiſſimam dignitatem; nulli Metamorphoſi ſubiectam & in ſtatu felici præclaris legibus & ſingulari mutuaq; Confratrum charitate inſtitutam, ſumma conſtantia conſeruatam, maxima virtute ornatam, omnium temporum manſuram! quæ Tuæ Maieſtatis non contenta ſede, tàm latè longèq; virtuti glorioſæ quæris honores: vt nulla ſit in regno Poloniæ Cathedra, nullus in Eccleſia Præeminentiæ locus, in-

quo

quo non appareat Confrater è gremio Vestri prudentissimus, caroq; de ossibus vestris florentissima. Inuoluam alto silentio illos venerandos senes, quos vsus & quotidiana grauissimorum iudiciorum experientia per viginti ferme annos, penes istam Ecclesiam nullo posito interstitio absolutorũ, prudentissimos toti orbi commendauit, & quod caput rei est, nullus sententias eorum prudentissimè latas (etiam te insidiatrix bonorum omnium inuidia, & ferax ingrati seculi tempus inuoco & testor) vituperauit, nec retractauit. Crescunt Ecclesiæ ex Vestris grauissimis viris ex hoc splendidissimo Episcoporum lumine, & florentissimo Senatorum Collegio. Crescit sub Vestris auspicijs illud publicum diuinæ & humanæ Iustitiæ domicilium, cuius habenas non postrema laude tenetis: vt innocentiæ, non flagitij; vt æquitatis, non iniustitiæ; vt veritatis, non fauoris; accerrimi defensores existatis. Obuersatur fortasse mẽti Vestræ vis & robur extensum in sapientia Iudicum: vt non solùm quid valeant in dãda sententia, sed etiam quid debeant in administranda iustitia, diligenti trutina examinent: nec quantùm sibi permissum crebris vsurpent sermonibus, sed etiam quatenus commissum sit in statera prudentiæ collocẽt: quàm in exequendo multi homines iustam & æquam non tam probarent, quàm cognoscerent. Perpetuo vobis in animo versari duas vtiles & multò libratas Canonum pondere sententias animaduerto: quarum primam

mam

mam quòd diligenter inquiratis ita DEVM opera vestra paulò post iudicaturum quemadmodum vos metipsi in disquirendis causis hominum diligentiam adhibeatis: alterum non estis præcoces sed perspicaces in sententijs proferẽdis donec ex allegatis & probatis vtriusq; partis iura diligentissime cognoscatis, nõ occlusa altera aure, sed integram & patefactam cum Macedone Philyppo aduersæ parti seruare contenditis. Ex hac proinde æquissima cuiuslibet iustitiæ partitione, ita animos insatiabili oblectatione deuincitis, vt quilibet in vera virtute, & aliena laude nullum gustum habens, prudentiam, quâ polletis, vrbanitatis sale conditam, & multis doctrinæ notis illuminatam & distinctam tanquã ex perẽni quodam fonte scaturientem & profluentem ad animi sui recessus, seruandam non recuset. Vos, qui tot Ecclesijs Cathedralibus, tot Collegiatis, tot Regibus & Principibus, quorum gratia singulari sustentamini, fulgetis: Vos inquam magna & sublimia decent. Et iure meritò hoc amplissimum Collegium SEMINARIVM EPISCOPORVM appellandum est: nam vobis tanquàm Athlante omnis libertas Ecclesiastica innititur, à Vobis exempla tanquã à luminibus Ecclesiæ petuntur omnium virtutum, pietatis ac integritatis, sine quibus nihil gloriosum expleri potest: apud quos si defuerint, omnes honestæ actiones euanescunt & optime constitutæ Respub: penitùs euertuntur. Vos ad omnes gloriosas virtutes peragẽ-

das

das & Diuus ADALBERTVS tutelaris Vester, & hæc Alma Metropolis ad locupletem honorũ amplissimorum meritis comparandam supellectilem excitat. Vos deniq, ipse cui vos æterno nexu mâcipastis suâ parentelâ semel acceptos, gratia promouebit; Vestra propagabit dignitatum incrementa: & ab eo à quo omnia bona procedunt DEO, quàm maximè salubria, ad præclaros Vestros, quos causa ornandæ huius Almæ Matris, ratione non affectu, consilio non cupiditate, suscipere intenditis cogitatus, impetrabit consilia. Veniat vobis in mentem Thetis illa, quæ Parocli corpori Ambrosiam dulcissimum potum infundisse fertur, vt illud ab omni pestiferæ corruptionis afflatu illæsum & intaminatum conseruare posset: ita etiam illi Sanctissimi Viri amplissimo vestro Collegio guttas excelsæ virtutis instillare & inserere, non sunt veriti, (licet ipsæ solius ductu naturæ sacro vestro Senatui innatæ, firmiter infixæ, & diuturno vsu corroboratæ esse videantur) vt nominis vestri existimatio apud omnes gloriæ arbitros, per omnes ætatis partes, valeret sempiterna. Ferunt Themistoclem clarissimum Atheniensium Ducem, dulcem somnum capere cupientem Miltiadis trophæo excitari: quantò vos acriùs quotidie accendunt ac inflammant non vni⁹ Ducis, verum DEVM ignorantis præclare præstita facta; sed innumerabilium Virorũ sanctimoniâ vitæ præditorũ sacrosanctè anteacta vita, non ex ipsis lapidibus exsculpta & efformata ad

cito

citò interiturã (veluti vmbram) laudem; sed ad omnẽ æternitatem æternùm duraturam. Testantur etiam solertissimi naturalium rerum indagatores, nasci quasdam auiculas in orientis mundi partibus, quarum corpora in ardentissimo caloris æstu absq; vllo putredinis vitio per longum temporis interuallum, conseruantur: ideo quod pabulis ex cinnamomo, & varijs aromatum generibus, suam intempestiuam esuriem, mitigare soleant. Non alia ominanda sunt de vestro Illustr. Senatu, qui odore, fragrantissimorum LILIORVM pastu multa virtutum aromata sapientissimis actionibus in mortario pietatis contusa & nunquam interitura successoribus suis, ad rem suæ Reipub: dexterrimè agendam, non inuitus reliquit. Crescent igitur vestra LILIA quæ sunt symbola veræ pietatis, palmites Virtutis, surculi honoris, plantagines religionis. Crescent quàmdiu Ecclesia viuet, quæ nullis terminis circumscribitur, quamdiu nostra Sarmatia florebit, quamdiu hæc Amplissima honoris celsissimi Archicatedra & excellẽtissimum Virtutis theatrum stabit, tamdiu crescent, non ad obliterandam, sed ipsa etiam temporum longinquitate producendam nominis celebritatem.

DIXI.